



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

4. An si speretur correctio, pœnitens debeat denunciare Confessarium
solicitem in confessione? Et quid de Hæretico formali? Ex p. 4. tr. 5. res.
24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

tit. 19. n. 1. cum aliis. Quia duplex est denunciatio, alia judicialis, alia Evangelica. Ante Evangelicam, quæ intendit emendationem fratris conceditur, præmittendam esse correctionem: non autem ante judicialem, quæ punitionem intendit. Sed talis est denunciatio, quæ in Tribunali Inquisitionis efficitur. Ergo ante ipsam non est necesse, ut correctio præmittatur. Vide etiam Lorcam in 2.2. sect. 3. disp. 47. n. 23. Coninch de fide, spe, & charitate, disp. 28. dub. 8. n. 151. Bañez in 2.2. q. 13. art. 28. ad 7. arg. & alios.

2. Secunda opinio negat: & ita docet D. Thom. 2.2. q. 35. art. 7. quem postea sequuti sunt omnes discipuli hujus Scholæ: Sotus de just. lib. 5. q. 5. art. 1. Canus de locis Theol. lib. 1.2. cap. 9. Sylvest. verb. correctio, q. 5. Lopez in instruct. p. 4. cap. 54. Ledesma in summa tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 24. diff. 2. fol. mibi 138. Ioan. de la Cruz ubi infra Zanard. in direct. Confess. p. 2. præcept. 1. c. 13. q. 13. & alij. Idem docuerunt Caltrus de heret. pun. lib. 2. cap. 25. Toletus lib. 5. c. 7. n. 2. Lazarius tract. de blasphem. q. 12. n. 31. Homobon. tract. de cas. refer. p. 2. cap. 1. & de exam. Eccles. p. 2. tract. 9. cap. 1. q. 39. Angelus verb. denunciatio, q. 3. Rosella verb. inquisitio, num. 1.

3. Sed audiamus aliquos in generali loquentes. Portel. in dubiis regul. verb. correctio fraternalis, n. 1. sic asserit: [Constat ex Evangelio, ante denunciationem in Inquisitione, præmittendam esse correctionem fraternam, quæ ad id necessaria est, ut si sit spes, quod illa proficiat, & sufficit, non est crimen denunciandum prælato, etiam si crimen ipsum sit contra communiam, etiam si sit hæresis.] Ita Portel. Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 2. c. 3. sect. 6. n. 52. Superior non potest præcipere, ut præmissa correctione fraternalis reus occultus denunciatur, neque ei tale quid præcipiendi obediendum est. Non idem tamen damnandum est, quod ab Inquisitoribus fidei datur præceptum, statim nulla præmissa correctione denunciandi eum, quem constat Hæreticum esse: nam in crimine hæresis ordinariè nulla est spes emendationis. Non est verò negandum, quod si firmiter existimetur quæ hæreticus per secretam admonitionem convertendus, ac impediturus omnia mala, quæ ab eo timeri possunt, ipse debeat uti præmonitione. [Ita Reginaldus, cui addatur Repertorium Inquis. verb. denunciatio. Gundisalvus de Heret. q. 10. n. 6. Decianus tom. 1. lib. 5. cap. 30. n. 1. & seq. Ioan. de la Cruz Dominicanus in direct. conscient. p. 1. præcept. 5. q. 2. dub. 5. concl. 2. ita asserens: [Mulier sollicitata in Confessione, non absolvatur, dum non denunciat Inquisitoribus sollicitantem: nisi esset spes, quod iste fecerit correctus emendabitur: quæ spes potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi. Vnde, si mulier sollicitata scit alicujus idoneitatem ad illam correctionem, posset cum eo hoc intendere.] Ita Ioan. de la Cruz.

4. Idem docuit Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 3. n. 31. ubi sic ait: [Antequam fiat denunciatio à muliere sollicitata in Confessione, præmittenda est fraterna correctio, si detur spes emendæ: quia præceptum correctionis est de jure naturali, & divino: Præceptum verò hujus denunciationis est humanum: unde non potest prævalere adversus præceptum joris naturalis. Ut autem correctio fraternalis judicetur non profutura, non satis est semel fieri, & non prodesse: sed oportet iterum arque iterum adhiberi quandiu judicio prudentis speretur emenda.] Ita Fagundez, & novissimè Peirinus in privileg. Minim. tom. 2. Constitut. 4. Greg. XV. §. 9. num. 26. & Constit. 9. Paul. V. §. 2. n. 26. & 27.

5. Tertia opinio distinguit, & ponit differentiam inter hæresim formalem, & alia crimina sapientia tantum hæresim. In primo casu negat esse præmittendam correctionem fraternam: in secundo illam admittit.

Tom. V.

Ita Fagundez docet, loquens de hæretico formali in 2.2. lib. 6. cap. 4. num. 11. qui tamen, ut paulò supra viderimus, putavit, Confessarium sollicitantem in Confessione esse corrigendum. Idem docet Molfesius in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 25. Ortiz in sum. cap. 21. n. 17. Homobonus de exam. Eccles. par. 1. tract. 7. c. 6. q. 29. & multi ex DD. citatis in secunda opinione. Sed circa præsentem questionem, præter citatos Doctores, vide etiam Aldrete de Relig. discipl. tuenda, lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 28. Navarra lib. 2. cap. 4. n. 93. Valentiam tom. 4. disp. 3. q. 20. punct. 5. §. 1. Filiucium tom. 2. tract. 28. cap. 8. n. 151. & Onuphrium Opusc. de sigillo sect. 2. q. 2. dub. 4.

6. Notandum est etiam, quod in opinione supradictorum DD. asserentium esse præmittendam correctionem, posset quis petere, an si dubium sit, utrum correctio profutura sit, necne, in tali casu sit etiam præmittenda, vel potius facienda sit denunciatio. Alii apud Deltium in disp. mag. tom. 3. lib. 5. sect. 4. n. 6. putant esse præmittendam correctionem, & hanc sententiam valde æquam existimat Deltius, licet ipse, & merito, contrarium sentiat.

RESOL. IV.

An si speretur correctio, penitens debeat denunciare Confessarium sollicitantem in confessione? Et quid de hæretico formali? Ex part. 4. tract. 5. Ref. 24.

§. 1. Negativè responderet Fagundez in præcept. Eccl. Sup. hoc in pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. Soula de Confess. sol. tract. 2. cap. 6. n. 9. Lezana in summa q. 9. Regul. c. 10. & inf. in ref. n. 34. Portel. in addit. ad dub. regul. ver. sollicitare fr. minas, n. 18. Caltrus Palas tract. 4. disp. 9. punct. 10. n. 2. in to. 7. tr. 1. Hieronymus Rodriguez in compend. q. 9. reg. resol. 131. ref. 240. §. num. 14. Peirinus in privileg. Minim. const. 3. Greg. XV. §. 9. n. 26. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 1. pr. 5. 7. Ref. 81. §. 9. 2. dub. 5. concl. 2. Ledesma in summa, tom. 2. tr. 4. c. 4. ult. prop. concl. 24. dub. 2. Acugna de Confess. sollicit. q. 18. n. 14. & fin. &c. iterum Soula in Apbor. lib. 1. cap. 34. num. 57. & à fortiori DD. quos ego ipse citavi in 1. part. tract. 4. ref. 2. asserentes etiam hæreticos, quando adest spes certa emendationis, esse corrigendos. Ratio est, quia præceptum de correctione fraternali obligat ex jure naturali, quando speratur emendatio, quæ in casu nostro potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi, unde si mulier sollicitata scit alicujus idoneitatem ad illam correctionem, posset cum eo hoc intendere.

2. Sed ego loco citato contrarium docui, & idem in specie docet de Confessariis sollicitatibus. Ioan. Sanc. in selectis disp. 11. num. 56. ubi sic ait: Etiam si firmiter credatur emendatio in Confessario sollicitante per fraternam correctionem, non excusabitur foemina à denunciatione, nam licet in crimine hæresis, vel illam olentibus (quale est de quo agimus) stando in solo jure naturæ à denunciatione poterit quis cessare, si firmiter credat per secretam monitionem fore hæreticum emendationem nacturum, quia tamen Inquisitorum edictum publicatur de hæretico, sive sollicitante Confessario deferendo, nulla præmissa monitione, quantumvis firmiter credatur emendationem consequuturus, parendum erit præcepto, ut bene docet Arevalo de correct. fraterna, fol. 118. cum bonum publicum magis sit procurandum, quam particulare, & judicium de spe emendationis hæretici, aut Confessarii sollicitantis nolunt Inquisitores committere foeminis denunciaturis, sed semetipsis, qui tanquam litterari, & in istis rebus experti sanius rem meditantur. Hæc omnia Sancius, cujus sententiam tenet Suar. tr. de fide, disp. 20.

li 3 sect.

do in resolutionibus & §. not. hujus ref. & pro Confessario sollicitante, in ref. 1. hujus not. à §. ejus 5. lege etiam doct. ref. seq. & Resolutiones & §. ejus not. 1. 2. & 3. & pro criminibus sapientibus hæresim in tom. 7. tr. 4. Vid. ref. 74.

Quæ hic est ref. antecedens.

Sup. hæc & seq. in ref. not. præterita. §. Sed ad med. vers. Nō est vero. & in ref. seq. §. Dicendū. & Sult. & in tom. 9. tr. 7. Ref. 81. §. ult. prop. fin.

378 Tractatus IX. De Denunciatione facienda,

f. 4. m. 11. ubi loquens de hæretico qui cum retulisset opinionem eorum, qui dicebant præmittendam esse correctionem, si ad sit firma spes, quod hæreticus statim esset emendandus, & consequenter quod in tali eventu denunciandi præceptum cessaret. Respondet huiusmodi opinionem veram esse stando in solo jure naturæ: at ex suppositione alicujus juris Ecclesiastici præcipiens immediatè procedendum esse ad denunciationem, sustineri non debere talem opinionem. Ad- dicit tamen præceptum positivum denunciandi hæ- reticum prætermittit correctione nec in jure Canonico, nec in Bullis Pontificiis inveniri, sed immediatè oriri ex præcepto imposto per edictum Inquisitorum, quod non minorem habet vim, quàm lex Canonica, cum illius Tribunalis potestas Apostolica autoritate feratur, & quamvis videatur præceptum ab homine, ta- men quia Tribunal à quo procedit, perpetuum est, ideo per modum legis perpetuè durat. Et ita hanc sen- tentiam præter Sancium, & Suarez, tenet etiam novis- sime Jacobus Gordonus in *Theol. mor. tom. 2. lib. 6. g. 12. cap. 25. §. 2. num. 68.*

3. Advertit tamen idem Saneius quod quando dic- tur edictum Inquisitorum obligare ut denunciatio fiat nulla præmissa correctione fraterna, non in eo sensu est intelligendum, quod edictum prohibere intendat correctionem absolutè, sed solum obligat ut denun- tiatio non omittatur titulo correctionis factæ, vel faciendæ. Hoc si perpendatur, difficultatem om- nem auferit, quia quidam sunt superati non capientes quomodo edictum Sanctissimi Tribunalis inquisi- tionis præcipere possit, quod correctio nulla fiat ante denunciationem, cum id juri naturæ conforme sit, & Christi Evangelio *Matth. 18.* Ut enim jam diximus, non præcipitur per edictum correctionem non fieri, sed quod quamvis sit facta, non ob id denuntiatio omit- tatur, quia sic expedit bono Religionis, & communi. Hæc Saneius, quæ hic transferre volui, quia co- dex rarus est. Verum quia, ut advertit Freitas in *tract. de Confess. sollicit. quæst. 18. num. 31.* Doctores communiter tenent Inquisitorum edicta rejicere cor- rectionem; ideo assero cum Suarez loco citato de fide, *disp. 20. sect. 3. num. 12.* rationabiliter id præcipere. Primo, quia ob periculum omnis detrimenti, quod est in peccato hæresis, rarissimè potest conveniens re- medium adhiberi per solum monitionem privam, & magna prudentia necessaria est ad cognoscendum, an hæreticus verè corrigatur, ut an vero fingat decipiat; ergo magis potuit Ecclesia quasi reservare sibi, vel suis Prelatis, & judicibus suis hoc negotiū, & illud non relinquere arbitrio & discretioni alicujus hominis privati. Secundo, quia finis adequatus & præcipuus hujus denunciationis judicialis non est sola emenda fratris, sed etiam publica correctio, & securitas alio- rum fidelium, ad hunc autem finem secreta monitio numquam est sufficiens medium, & ideo in *cap. qua- liter & quando de accus. dicitur* quamvis ante denun- ciationem utique Evangelicam præcedere debet secreta monitio, non esse tamen necessariam quando via ac- culationis proceditur; sed eadem ratio est de denuncia- tione judiciali, nam quoad finem & effectum in tantum ejusdem rationis est. Ergo, &c. Et ideo glossa, quod valde notandum, in *cap. 2. de accusat. ver. charitativè*, notat, quod in denunciationis modo, cum agitur ad penitentiam, tunc necessaria est admonitio secundum veritatem Evangelicam.

Sup. contro-
in hoc 6. l. 1.
in ref. eq. 5.
Ludovicus.
& in ref.
præterita 5.
Tertia, ad
m. 11.

3. Notandum est tamen quod etiam stando in pri- ma opinione ipsius auctores illam tenentes existi- mant rarè emendationem in Confessario sollicitante correctione secreta sperari posse, ac perinde rarè cessa- re obligationem illum denunciandi, & ita observat Castus Palas *tract. 4. disp. 9. punct. 10. n. 2.* Unde Sou- la in *aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. n. 56.* sic asserit: Regu-

lariter loquendo crimen sollicitationis quantumcum- que occultum statim denunciandum est; præmissa secreta admonitione. Sic ille. Et Henriquez *lib. 6. cap. 17. n. 4. in gloss. litt. L.* ita ait. Casus sollicitantis relevatur censoribus fidei, quia serpit contra bonum com- mune, & honorem Christi, & vix (nota Lector hæc verba) vaser confessarius emendari solet correctione. Sic Henriquez. Et tandem non desinam hic apponere verba Iacobi de Granado in *2. 2. D. Thomas, contraven. 1. tract. 12. disp. 5. sect. 4. num. 33.* ubi loquens de cor- rectione facienda in criminibus vergentibus in damnum communis, ut sollicitatio in confessione, sic asserit: Itaque non sufficit probabilitas, quod delinquens iste emendabitur correctione privata, quia cum hac verisimilitudine stare potest prudens timor quod delictum perseverabit, & communitas graviter lædatur; neces- saria ergo est certitudo quam in re tanti momenti non facile sibi quisque persuadeat, nisi si non sit vir magnæ autoritatis, & efficacitatis, non poterit, præ- terea loquendo, certus omnino esse, quod sua privata monitio omnino impediat malum imminens com- munitati. Ita doctus Granado, unde advertant Con- fessarii in casibus contingentibus quid faciant, ne co- cus cœcum ducat, & ambo in foveam cadant.

RESOL. V.

An Hæretici sint denunciandi Inquisitoribus ante pri- vatum correctionem?

Et sollicitantes in confessione, vel prætextu confessionis, an sint denunciandi?

Et quid de aliis criminibus contentis in Edicto DD. In- quisitorum? Ex p. 7. tract. 3. Resol. 3.

§. 1. DE hac quæst. ego egi *par. 1. tract. 4. resol. 2.* & Quæst. 1. præter Doctores ibi citatos ad eam novissimè respondet Duval in *2. 2. tract. de Correct. g. 9. art. 5.* Tertia, & ubi sic ait. Etiam si scirem aliquem esse hæreticum, non tamen tenerer illum Inquisitori, in locis in quibus Officium Inquisitionis viget, vel Episcopo in locis in quibus ipsum privata admonitione iri emendatum, & interim nihil mali acturum.

2. Dices, legem statutam esse, quæ quilibet sciens, & ad illa lapsum aliquem in hæresim, tenetur eum superiori de- nunciare, sub pena excommunicationis ipso facto in- currente, quod in Ital. & Hispan. cum rigore obser- vatur: ergo saltem in peccato occulto hæreticos omni- tendenda est correctio privata, & ad superiorem imme- diatè illud est deferendum. Respondeo, legem illam in tali casu non obligare, siquidem causa, ob quam lata est, nempe aliorum periculum, omnino cessat; & præ- terea cum spes sit penè moraliter certa, eum mea priva- ta monitione iri emendatum, lex charitatis, contra ad quam nulla alia lex pugnare potest, postulat ut publi- cè, seu superiori non denunciatur: nullus enim est qui in tali casu vellet se ad superiorem denunciari: ideo- que cum alteri non sit faciendum quod nobis fieri nolimus, non est etiam in locis, in quibus lex illa usæ recepta est, publicè denunciandus.

3. Instabis, cur ergo lex universaliter lata est, non facta illa exceptione, quam facit D. Th. Respondeo le- ges omnes respicere ad ea, quæ communiter, & ordi- nariè contingunt, non autem ad ea, quæ rarè & quia ordinariè loquendo, vix unquam habetur moralis cer- titudo, hæreticum alios non depravaturum: ideo lex de hereticis statim denunciandis, sub pena ana- thematis generaliter lata est: hoc tamen non obstat, quin quando adest moralis certitudo, hæreticum nullos alios esse depravaturum, regula illa generalis fallat.

4. Instabis